Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 35
Quelle:
Copyright:

deſtruxit et uitam reſurgendo reparauit. Per quem &c. id, quod hodie in Praef. *Paſchali* canitur. Singulare etiam illud ad immiſſionem Particulae in Calicem dicendum: *Hec ſacroſancta commixtio corporis et ſanguinis D. N. J. C. fiat michi et omnibus ſumentibus ſalus mentis et corporis et ad uitam eternam capeſſendam preparacio ſalutaris ad ueniam.* E tribus orationibus ante Sacramenti ſumtionem dicendis ſecunda ad Deum Patrem dirigitur. Hucusque a *Canone* charactere majori; *Miſſae* enim quaedam huic adjunctae jam rurſus lyncibus ſcriptae ſunt, quemadmodum Libri Biblici, ad quos nunc reditur. In his *Machabaei* Prologis *Rabani Mauri* ad *Ludovicum* Regem et *Geroldum* Archidiac. gaudent, I. *Job.* c. 5. ad Teſtimonium terreſtre omiſſum eſt: *et hii tres unum ſunt. Interpretationes Nominum hebr.* ipſis Bibliis nitidius exaratae ſunt, et *Canones Evangeliorum* ſeu Concordantiam poſt ſe habent. Ad quendam *G. Morellium* Seculo, quo ſcripta ſunt, pertinuiſſe haec Biblia, e fine Cod. colligitur.

XXIV.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 464. 8. maj. ejusdem rationis cum praecedente, niſi quod charactere paullo majori perſcriptus ſit, haec habet peculiaria: Primis 12. *foll.* praeſcriptum eſt currente calamo *Summarium* illud Biblicum *Alexandri de Villa Dei* O. M. metricum: R. 1686

Sex. prohibet. peccant. abel. enoch. arca fit. intrant &c.

de quo jam alias dixi, quod tamen hic titulum alteri non ignoto Operi xylographico ſymbolico ſuffuratur: *Biblia Pauperum.* Huic *Summario* aliud additum eſt pariter metricum Urbium Terrae ſanctae cum notis hoc initio:

Eſt acaron centrum, loca ſunt hec pars aquilonis.

Cui verſui praemittit Commentator: *Nota quod hec prouincia uocatur phenicea, quia fenix apud ſydonem regnauit, eamque prouinciam ſuo nomine appellauit phenicem et habet ab oriente caldeam, ab euro arabiam, a meridie mare egipcium. Nota etiam quod ciuitas acaron non eſt de terra ſancta licet recipiatur hic pro centro terre ſancte. Hoc fit ea de cauſa, ut linee protracte ab eadem ciuitate oſtendant ſitum et diſpoſitionem ciuitatum in terram ſanctam usque in ieruſalem et prima linea recipitur ab akaron ad partem aquilonis iuxta mare ut appareat.* Concurrentibus igitur omnibus lineis verſus poſtremus:

Hic